Chylinski Baltazar

Herka Sym. Cantii: Conclusiones ex scientia moral[i].

...rka Ignatii Cantii

Conclusiones ex scientia morali iuxta textum Aristotelicum menti Doctoris Angelici conformes.



CONCLUSIONES
Ex Scientia Morali
Juxta textum Aristotelicum Menti Doctoris Angelici
CONFORMES.
Ad publicam Disputationem
In Archilycæo Jagelloniano
Per
M. IGNATIUM CANTIUM
HERKA
Philosophiæ DOCTOREM, ejusdemq; Regium PROFESSOREM, Collegam Majorem, Ecclesiarum Collegiatæ S. ANNÆ CANONICUM, Cathedralis Cracoviensis Garvascianum CONCIONATOREM, Parochialis in Gaj. CURATUM.

Propugnante
V. BALTHASARE CHYLINSKI,
AA.LL. & Philosophiæ Baccalaureo, ejusdemq; Scientiæ Moralis Auditore,

PROPOSITÆ.
Annô Domini M.DCCXLIV.
Die 25. Mensis Januarij.



CONCLUSIONES ETHYCÆ Menti Ariſtotelis & D. THOMÆ CONFORMES.

I.

DAtùr Ethyca, quæ eſt Scientia practica inſtruens hominem ad benè beatèq; vivendum.

II.

OBjectum adæquatum Ethycæ ſunt humanæ actiones ordinatæ ad optimum finem.

III.

IN rebus humanis datur finis ultimus, qui habet rationem ſummi boni naturalis.

IV.

ADmiſſô, quòd detur ultimus finis rerum humanarum, neceſſariò admitti debet eſſe ultimum finem optimum ſupernaturalem.

V.

NEq; in honore, neq; in fortuna, neq; in divitijs, neq; in quocunq; alio excogitabili conſiſtit ultimus finis naturalis vitæ humanæ, ſed in ſola virtute.

VI.

ULtimus finis naturalis ſeu ſummum Bonum in linea Naturæ ſumptum conſiſtit in operatione ſecundùm virtutem in vita perfecta.

VII.

HVjus aſſequendi finis Cauſa principalis eſt DEVS, homo autem eſt cauſa ſecundaria.

VIII.

FOrtuna non eſt Cauſa effectiva felicitatis.

IX.

SVbjectum ultimi finis eſt ſolus homo ætate provectus.

X.

SOlonis opinio tenens ſolum hominem mortuum eſſe felicem non eſt admittenda.

XI.

QVi conſequitur finem perfectum, ideſt operationem ſecundùm virtutem, non poteſt eſſe miſer.

XII.

XII.

FInis consistit in virtutibus, tam intellectualibus, quàm moralibus.

XIII.

NVlla virtus moralis est insita homini à natura.

XIV.

VIrtutes morales licèt non sint insitæ hominibus à natura, non sunt tamen in illis præter naturam.

XV.

VIrtus tam moralis quàm intellectualis in medio consistit.

XVI.

LIcet virtus in medio consistat, extrema tamen liberalitatis habent aliquam inter se bonitatem, ita, ut melior sit prodigus, quàm avarus.

XVII.

AD consequendam virtutem non sufficit sola cognitio virtutis.

XVIII.

QVi virtutem casu fortuito exercet, virtuosus non est.

XIX.

VIrtus neq; est quædam perturbatio seu affectus, neq; est potentia, sed est habitus voluntatis.

XX.

VIrtus rectè definitur sic: quòd sit habitus electivus in mediocritate consistens, ea quæ ad nos pertinent determinans ratione recta viri prudentis.

XXI.

VIrtus contrariatur utriq; extremorum, inter quæ est medium

XXII.

MAjor est dissimilitudo inter ipsa extrema virtutis, quàm inter virtutem & extrema.

XXIII.

INvoluntarium aliud est simpliciter, quod fit per violentiam, aliud secundùm quid, quod fit partim à voluntate, partim ab extrinseco.

XXIV.

INvoluntarium secundùm quid est actio media inter voluntarium & violentum, quæ fit partim per vim extrinsecùs, partim per voluntatem intrinsecùs existentem, talis tamen actus magis dicitur voluntarius.

 XXV.

XXV.

DAtur actio media inter voluntarium & involuntarium.

XXVI.

ELectio in rebus agendis neq; est voluntas, neq; est opinio, sed est actus voluntatis.

XXVII.

NOn omnia cadunt sub cosultationem, sed tantùm ea, quæ in nostra sunt potestate, & aliter se habere possunt, & nondum sunt certa & determinata.

XXVIII.

BOnum ut sic est objectum voluntatis.

XXIX.

JUstitia distributiva debet observare proportionem Geometricam, commutativa verò proportionem Arithmeticam.

XXX.

Jus talionis non nudè & specialiter, sed analogicè revocatur ad justitiam.

XXXI.

NOn omnis, qui infert injuriam, denominatur injustus.

XXXII.

INvitus aut ignorans nec injuriam alicui infert, nec injustum facit, nisi per accidens.

XXXIII.

DAmnum illatum ex prævia electione gravius est damnô illato ex perturbatione mentis.

XXXIV.

NEmo sponte injuriam patitur, nec eam sibi infert.

Ad M. D. T. O. M. G. B. I. C. M. V. H. DD. Cæli Indigetum singulariter D. JOANNIS CANTIJ Universitatis PATRIARCHÆ Venerationem cedant.

Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.

